



III, 50.

250.

III, 50.



10

LESSUS

LAMENTABILIS,
PRINCIPALIA ET CELSISIMIS.

CUM

SERENISSIMA PRINCEPS AC DOMINA, DNA. SOPHIA AUGUSTA,

E CELSISSIMORUM SCHLESVIGIQ. HOL-
SATIORUM, DUCUM

PROSAPIA, ORTUM TRAHENS ILLUSTREM &c.
DOMINA NOSTRA, DUM IN VIVIS ERAT, ET MATER PA-
TRIÆ, CLEMENTISSIMA, PISSIMA,
JAM INTER COELITES BEATOS BEATISSIMA, &c.
EX HOC MUNDI THEATRO EHEU ! DISCEDERET,
PRID. ID. DECEMBR., ANNO 1680.

Dormitorio verò inferretur suo placidè , VI. Id. Febr. Anno' 1680.

Quem ,

PRÆSENTIBUS, EX ALILA, URBEQUE, VIRIS SUMMIS,
LITERATISSIMIS,

publicè protulit atque edidit,

Humillimæ devotionis ergo ,

M. JOH. H. Rohde / Ravensb. VVestf.

P. L. C., Servest. Anhaltin.,
ad D. Barthol. Rector.

Servestæ, Typis JOACH. Palmen / Aulic. Typogr.

21223.1

ILLUSTRISSIMIS ET CELSISSIMIS,
PRINCIPIBUS AC DOMINIS,

DNO. CAROLO VVILHELMO,
PATER PATRI,
DNO. ANTHONIO GUNTHERO,
DNO. JOHANNI ADOLPHO,
DNO. JOHANNI LUDOVICO,

JOH ERATRIBUS GERMANIS,
PRINCIPIBUS ANHALTINIS, COMITIBUS ASCA-
NIÆ. DOMINIS SERVESTÆ ET BERNBURGI,
JEVERÆ ET KNIPHUSI, &c.

PRINCIPIBUS ET DOMINIS MEIS LON-
GE CLEMENTISSIMIS,

PRÆSENTEM LESSUM,

Humillimè inscribit ac offert
Celsitudinum illarum,

Devotissimus Cliens,

M. JOH. H. Rohte / R.

(TIT.)

EJulemus, ejulemus! Ignoscite, quæso, Auditores, omnium ordinum, honoratissimi, huic voci meæ prolatæ tristi & asperæ; quoniam, svaviore, in præsenti, vos alloqui, non licet.

Non immeritò autem vestras mentes, aliàs fortitudinis & constantiæ virtute exornatas, jam, proh dolor! perturbo. Ejulemus, inquam, concurrite cives, ut ejulemus, omnes & singuli. Et quomodo, gratâ jucundaque voce ullâ, Dignitates vestras alloqui valeam, ipse perturbatus maximè? Neque hic est, quod jam quis perquirat, vel anxiè & sollicitè percontetur, accuratiusque conetur resciscere. Ecquis enim erit, in hac, non dicam urbe, sed, universâ Anhaltinâ regione, cui non plus nimis innotuerit, imò, læserit aures, causa gravissima, tristissima. Namque, ut verbô quasi repetam, animos tristitiâ vehementer gravante; excisa est columna, firmissima antè, pre-
cum; occidit Mater patriæ; patriæ Dominâ, in terræ pul-
verem projectâ, modò jacet! Augustissimam illam Princi-
pem atque Dominam intelligo, SOPHIAM AU-

GUSTAM, Principem Anhaltinam, Ducem Schles-
uvigiae, Holsatiæ, Stormarie, Ditmarorum, Comitem
Ascania, Oldenburgi, & Delmenhorsti, Dominam Servestæ,
Bernburgi, Feveræ, & Kniphusi, Dominam & Matrem pa-
triæ beatissimam; cuius hodie celebramus memoriam au-
gustum. Quapropter dolore perculsi, non possumus non
miserrimum emittere ejulatum, in societatem advocatis ci-
vibus cunctis, quorum res æque agitur, atque nostra; cum
præsertim maneat verum, pronunciatum Poëtæ principis,
in hæcce erumpentis verba:

So-

Solamen miseris, socios habuisse malorum.

Sed vellicantem nobis hic adversarium aurem percipio: Quid audacter ejulandi suggestione sollicitas alios, eosque viros summos? cum neque temet ipsum tale quid deceat; si quidem virilem vir ostendere velis animum; illos autem multo minus, longe gravissimos. Etenim, vix ingemiscere, in rebus, viris licet, maximè arduis; non autem plorare, morte fœmineò; nedum ejulare, nimium effeminate. At verò, hic statim regerimus occurrenti; quanquam facere miseri verba, prohibemur ferme a lacrymis. Constat inter omnes, non eisdem esse res omnes ponderis. Nonnullas enim levioris & exigui, cordatus quisque dicet nobiscum, esse momenti; cum alias contrà, urgentes maximè, & omni ferè pondere ponderosiores, rectè affirmari, nemo non libenter equidem largietur. Jam autem hanc nostram, uitinam minus! ad hanc, non ad illam speciem reducendam, ecquis erit, qui possit ire inficias? Si itaque Jovis & Alcmenæ filius, ob fortitudinem & gloriam, inter Deos relatus, si, inquam, hic, in Oeta, monte, inter Thessaliam & Macedoniam, morte & sepulchrō Herculis clarò, magnitudine dolorum, visus fuit ejulans; quis nobis idem, qui tantâ magnitudine animi neutiquam floremus, quâ Herculem scimus, vitio vertere potuerit? Imò, si in vate illo Regio, cuius nos esse imitatores, quocunque tempore, & in omni actione, sedulò optamus; neque hoc tantum, sed etiam frequenter idipsum monemur, non fuit olim, ab ullo ferme, culpatum, multo minus sarcasmò exceptum; cum tamen lacrymas mitteret acerbissimas, publicè, inter comites multos; sanè, sanus quisque nos quoque habebit excusatos, in miserando jam, dolor! statu constitutos. Ut ne autem nimium, amarò, & quavis membra debilitante, dolore, nos maceremus, exsiccantes quasi medullæ intimum, aut aliis tale quid attrahentes; agite! seposito, vel presso paulisper ejulatu, in gloriosa memoria Beatisimæ, expatia-

tiabimur virtutes , maxime illustres ; & tum admirando eas, tum commendando , tum imitando , quantum quidem virtus , & ratio temporis , indulgent ; ob oculos nobis ponentes . Veluti autem prora puppisque , secundando & felicimus . Eodem quo- vento actæ , facilius secant provectæ aquas : Eodem quo- que modō , ad faciliorem progressum , & decursum , vestri benignam , Viri & Auditores , honore maetandi , favoris auram , rogitantes exspectamus . Dabimus operam , ut nau- sea & tedium brevitate avertatur auribus .

summè venerandi, imprimis a beatissimis gloriosæ & augu-
stissimæ Principis, manibus impetranda est venia, quòd mi-
nore judiciō, quàm impetu, conscendi cathedram, de illa
facturus verba, cui plurima quidem, & infinita propemo-
dum debeam; sed, quæ quantaque fuerit, dicere, nec flo-
rentissima ac disertissima ingenia queant. Sed, quia, relin-
quere partes, integrum haut est, &, sine dedecore, silere
non licet; permittenda vela ventis, solutâque orâ ca-
pessenda est spes, si laudem dicendô non emeruero,
professione obsequii tamen, ac pietatis, favorem me ve-
strum exoraturum. Si agitaret secum aliquis, qualemnam
esse opòrteat Principem fœminam, cui nihil eorum desit, quæ
aut tribuere favor Numinis, cùm maxima; aut summa con-
ferre virtus queat; non aliam temere, credo, conciperet spe-
ciem, atque quam hactenus, in **SOPHIA AUGUSTA**,
venerati sumus; & nunc lugemus. Enituit aliqua, illustri
ortu; sed obsolevit connubii imparis födere: Et contrà, in
alia splendidissimas nuptias, tristis sterilitas obscuravit. Sunt,
quas in admiratione cœlestis forma decoraque juventus po-
suit; sed quarum animos sordidissima vitia commacula-
runt. In Principe nostra tam conspiraverunt summa, lau-
dandaque omnia; ut nihil majus natalibus, nihil felicius ac
fortunatius matrimonio; nec alia temere facies olim con-
cinnior venustiorque videretur. Tanta præterea in ea virtus,
ut ejus implere mensuram vel consummatisimis arduum
fuerit. Paternæ originis decus, ex Hæredum Norvvegiæ,
Ducum Schlesvvgiæ, & Holsatiæ Illustrissima domo; Ma-
ternam nobilitatem ex Serenissimorum Electorum Saxoniæ
prosapia traxit. Quæ magnitudo ibi atque sublimitas? Et
quantum hic luminis splendorisque fuit? Macta hâc incu-
nabolorum gloriâ, hâc eminentiâ natalium, esto, **SOPHIA**
AUGUSTA, & tantò tibi gratulare magis, quantò ube-
riùs matrimonii dignitas felicitasque ortui tuo respondent.

Quid

Quid tuō **JOHANNE**, *Principe Anhaltinō*, aut majus
tibi aucupari spes, aut excellentius potuisset præstare fortu-
na? Quō nemo eorum, qui in excelsō positi, aut nobilitate
antiquior, ampliorque; aut fidei, pietatis, constantiæ, justi-
tiæque, tum rerum fortiter provideque gestarum gloriā, prior
clariorque fuit. Quem tot ingentium meritorum in patri-
am, in imperium, in universam Christianam rem, collato-
rum tituli in illud levarunt culmen, quod pauci conscen-
dunt. Sed quantum est, nuptiarum dignitare clarescere,
si desint cætera, quæ læta ac fortunata hæc fœdera faciunt,
imò absolvunt. Quorum adeò tibi, **SOPHIA AÜ-**
GUSTA, nil defuit, ut superfuerit plurimum, & sic vix
habeat humana felicitas, quò tollere amplius vel beatissimos
conjuges possit. Quæ animarum arctissima copula? qui æ-
mulis amor, quæ reverentia mutua inter eos perperuò fuit?
Non potuit bene multorum annorum efficere ætas, ut quic-
quam fribusculi intercederet, tediumque subiret. Quò
vetustior nexus, hōc firmior sanctiorque non tantūm, sed &
jucundior copula erat. Ut opes viresque ab ætate haut ma-
gis, quam dulcedinem sumerent; quod vina solent. Quòd
si felici liberorum propagine ipsa connubiorum consumma-
tur felicitas, quid erat, quò vota vestra adscenderent, bea-
tissimi conjuges, cum obtinerent jam summa? Fingunt Poë-
tæ, Cybelen quandam, felicitate uteri, cœlum terramque
implesse Numinibus; & ortum ex ea, quicquid Deorum
Dearumque, quā patet orbis, coleretur. Si vera fabulis con-
ferre fas est, Te alteram Cybelem, Te Matrem magnam,
SOPHIA AÜGUSTA, venturæ celebrabunt ætates,
cum Te tot Deos Deasque, hoc est, Heroas ac Heroinas dedisse
noscent, quot liberos dederis, & in illorum progenie orbi im-
pertuisse tantam clarissimorum Principum, tot populis gen-
tibusque daturam Dominos, turbam. In grandiore ætate
formam velle laudare, quodammodo fit ineptum. Hæc
enim

enim juventutis, illorumque annorum dos propria est, qui crescunt, & lætum benignumque succum in membra dispensant. Qui vergunt & procidunt, decorem corporis trahunt unā, secumque abripiunt; & quicquid in ore, oculis, in reliquo corpore svavisimâ hactenus radiaverat luce, perimunt ferme ac tollunt. Silendum tamen in Nostra haut est, hanc partem laudis, præter morem tot annis, quos habuit, vix jam libatam, nedum extinctam fuisse atque deletam. Gravis rectusque incessus, nihil adducta in tristitiam frons, plenum modestumque oculorum lumen, intemerata oris honestas, loquebantur adhuc juventæ bona, & quantam augustis thalamis olim Principem intulisset. Scilicet, architectatrix natura, cùm fingeret primū texeretque, ita compegerat partes, & solidatis undiquaque eum honorem afflaverat, ut in novissimam valetudinem viridis, nihil haberet, de senectute quod quereretur. Sed, necesse est, provehamur ulterius. Qui ædes magnificas ingressi fuerint, non in illarum specie tantum, & eleganti membrorum commensu ornatuque hærere stupereque solent; sed de illarum Domino quoque ac posseffore solliciti sunt, & venerari optant corām, cuius sublimitatem & excellentiam de splendidissima venustate structuræ præsumferant. Perinde mihi, contemplato hactenus superficiem Principis, & quicquid in ea fatorum donō eminuit extrā, ac fulsit circūm; euræ nunc erit, qui habitaverit intus animus, & hanc pulcherrimam agitaverit molūm, inquirere simul, & admirari. Ego verò ita existimaverim, omnem animorum vim, auctoritatemque ac pulchritudinem, a virtutibus manare. Ut, quò earum in quōque plures extiterint, eò illustrior ipse, diviniorque haberi debeat. Sed quod in navi gubernator est, Dux in exercitu, in corpore anima; id in virtutibus est pietas. Quæ regit, dicit, & quasi animat illas. Quare, quò major in Principe nostra & abundantior pietas fuit, eò ubérius circa ipsam virtutum omnium splenduit jubar. Rectè

Recte vereque sentire de Deo, perinde eundem colere, artes
præcipuae fuerunt, quas inbibit tenera, & post adulta firma-
que exercuit semper. Videbat diverticula ac flexus; sed
ipsa tenebat iter rectum, quod institerat semel, & nusquam
a militari se via patiebatur abduci. In aliter sentientes non
intonabat conviciis, miserabatur potius, & quos dolebat
errare, reduci in viam, subinde optabat. In cultu divino
simplicitatem magis decoram, quam apparatus nimios;
compositasque in speciem pompas solebat probare. Nam-
que, ut Deum mentem purissimam noverat; ita, eundem
puritate animi colit quam optimè, existimabat: Eaque
ptopter in eo semper dedita fuit. Quâ devotione adibat
templa, atque publicis sacris intererat? Quam curam,
quod studium solebat afferre, ad auscultandos sermones,
qui habebantur ibi de suggestu sacri? Quo desiderio, quâ
destinatione revertebatur, factis exprimere gestiens præce-
pta pulcherrima, quæ audiisset? Jam domi, & in cubiculo
orare, psallere, evolvere oracula cœlestia; non vacui tem-
poris habebat solatia, & quasdam remissiones veluti, sed
verissimi operis descriptas partes; quibus nisi seriò daret
animum, medullitusque, ut Ennianâ voce utar, impen-
deret se, nihil egisse arbitrabatur. Quò verò piam devotio-
nem suam quotidie augeret, incommoditatem sibi exstrui
curavit, in arce noviter fabricata, sacellum domesticum, &
ad exornandum illud, nullis sumtibus parsit, neque ta-
men denegavit idem subditis, sed potius civibus incitamen-
tum præbuit, ad veræ pietatis exercitium. Quibus omni-
die laudabiliter præxit, & ita continuavit, ut non dubite-
mus suppliciis istis ac precibus, & multum averruncatum
malorum, a nostris cervicibus; & plurimum contrâ bo-
norum, quibus fruimur, procuratum fuisse. Etenim, con-
stat inter pios omnes, semper, in omnibus rebus, pietatem
prodeesse; si modò cum honestate conjuncta fuerint? neque
peragentis conscientiam lèdant. Et quoniam talis Augu-
stissima

ftissima nostra fuit a teneris ungviculis, passim quoque fama
ejus percrebuit; neque his locis ignota esse potuit. Videre
est enim hoc ex amore conciliato, **Beatisimi JOHAN-**
NIS, *Principis Anhaltini, Comitis Ascaniae, Domini*
Servestæ, Bernburgi, Jeveræ ac Kniphusi, &c. Hic ipse
dum inter mortales erat, Pater hujus territorii, ac patriæ verè
Pater benignissimus, perceptâ famâ, *Beatisimam nostram*
jungi legitimô sibi connubiô discipiit. Neque id votum
fuit irritum, imò nec infelix, vel sterile & frustra. Liviam
Augusti legimus, hæsisse perpetuò viri lateri, & induvulsa
secutam comitem, quocunque iret. An ejus amore ac stu-
diô, & quod se bonæ conjugis titulum tueri haut crederet,
si pateretur, separari ab eo, cui in omne fortunæ vitæque
consortium deducta esset? An, simulatione præposterâ,
& insidiosâ curâ servandi, quia non ignorabat errores viri;
& quām non durus amator esset, ipsamet sibi locupletissi-
ma testis erat? Quid Nostra? Hæc, amore sincerô ducta,
marito ac conjugi Principi suo semper quoque adhæsit, per
bene multos annos: Firmiter enim erat persuasa, talem
vitam & Deo, & piis castisque omnibus placere. Et quî ali-
ter potuisset? Utpote quæ annis primis bonum jecerat fun-
damentum, pietatem, nunquam sat's laudatam; hinc
aliter, nedum inpiè, procedere non potuit. Tantum
prodest, a teneris adsuescere bonis, pietati, ac honestati!
Porrò, quemadmodum non exuebat maritalem affectum,
sed cohibebat intra terminos; nec evagari ulterius sinebat,
quām ratio præscriberet: Ita etiam felix & fœcundum fuit
conjugium. Non enim duo vel tria pignora charissima da-
ta fuerunt desuper; sed plura eisdem; scilicet, decem
Principes mares, & quatuor fœmellæ. Tot vidit oculis suis
nostra Beatisima. Imò, ex his **CAROLUM**
VVILHELMUM suum, fastigium idem tenere, in
quo

quo tot annos eminuisse Pater, virtutum ingentium, & optimi Principatus exemplum edens, quod nunc non emularetur magis filius, quam laudabiliter exprimeret. Conservet hunc nobis patriæ Patrem Numen benignissimum! Vedit enim brevi ante beatam analysin florentes Principes filios, **Dominum ANTHON = GUNTHERUM**, **Dominum JOHANNEM = ADOLPHUM**, **Dominum JOHANNEM = LUDOVICUM**, natamque superstitem, **SOPHIAM AUGUSTAM**, omnes Principes maximè eminentes. Quam viva spirantiaque patriarchum virtutum simulacra atque imagines! Tot falvis suis, contumelia propè videbatur, si pro desertā & orba se gerere t: Quantumvis conjux illi ereptus eslet. Verum; cheu! *Divō JOHANNE*, Principe, & patriæ Patre magnō, conjugē optimō & peramatō, gloriolæ mémoriæ, quam pluribus actionibus meruit, ex his terrenis sublatō, beatisque insertō; tunc equidem plurima onera onerabant Nostram. Siquidem provida Mater, natorum gratiā, publica subire tenebatur, quæ a Cæsarea Majestate illi imponebantur. Antea longè aliam sectam ac rationem illa compositissimi animi moderatio injunxit Nostræ: Quæ, cùm se Principem non ignoraret, fœminam tamen, atque sub Principe esse, adeo usque obliuisci hanc potuit, ut in excelsō posita, privatæ similior videretur. Non irripiuit in curiam, non sese ingessit viri consiliis; & multò minus, statuendi de rebus, sibi sumsit arbitrium, quam, intra gynæci sui penetralia, & sexūs pudor, & quiete animi, continebant. Huic tantæ modestiæ tam par respondebat magnitudo animi: Ut, quam avara ambitionis intra mensuram sexūs sui se cohibusset, tam rursus eundem transiret constantiâ; quod postea visum: Ingruebant varia temporum & rerum discrimina; & hinc inde gravissimæ moles ambiguæ: Eoque res adductæ erant;

ut

ut proprius abesse a tempore viderentur. In tanta tempe-
state tot circumcirca cadentium fulminum, vix quisquam eā
firmitate animi erat, ut non pavesceret, aut trepidaret saltim,
anxietate futurorum eventuum. Quidverò Nostra? Non
concidēbat animō muliebriter, lamentisque ac questibus
incendebat omnia; vel, parūm decoris abdebat se latebris,
metu amens: Stabat obversò in fortunam vultu, altitu-
dine suā innitens, & freta pietatis armis permittebat se Deo,
bene sciens, quod *SUMMUM BONUM PIETATI
S O B O L E S.* Hinc venerata providentiam moderan-
tis omnia; hinc bonitatem clementiamque, nihil non in-
dulgentis, adorans. Quid, inquietabat, divino relucter ordi-
ni? quid jaetem jugum, quod, patienter ferendò, levius fa-
ciam? *FIAT VOLUNTAS DOMINI!* ingeminabat &
repetebat sèpius. Sic melius fata communia tolerandò
vincam: Quæ, nisi paruero, gravius prement. Qui modò
iratus aversusque videtur, mox placidus pacatusque aderit.
Qui castigat, solabitur rursus, & in utroque se Patrem osten-
det. Nam, tristiores Parentes liberis sunt, quos fidelius,
amant: Et quæ plura, semper in ore ejus. Quis fortiora
a viro exspectet, aut meliora a Christiano? Et, ecce!
hæc omnia in, beatissima jam, nostra Matre valde conspicua
erant, & sanè admiranda vehementer singulis! Quis autem
non videt, e sincera pietate tanquam fonte limpidissimo
ac purissimo, profluxisse? Quæ rectè ad omnia bona utilis
creditur. Provehamur ulteriùs. Propria hominis virtus est
humanitas; quam qui excludunt Principes, a communi na-
tura abeunt, & divinitatem in eo nequicquam affectant.
Nam, si humanitas nihil aliud est, quam benignus bene-
volusque, in omnes, affectus; quid in cœlesti illo ac summo
Numine magis exuberat? Quod nulli non patet; nullius
non admittit & audit preces; nulli non opem atque auxi-
lium

lium præstat; quod æquè omnibus providet; ex æquo
omnes, ad delicias, amat. Quare, quò humaniores Prin-
cipes sunt; hòc propriùs ad bonitatem accèdunt Numinis,
& abundantius similitudinem ejus exprimunt, cuius in terris
vices sustinent. Mirum in modum hâc etiam laude nostra
excelluit Princeps; cujus humanitate nihil proximus, nihil
comitate simplicius, nihil facilitate magis remotum ablan-
diendi artibus fuit. Quàm adituri patebat ultro! Quàm
hos benignè excipiebat! Quâ svavitate, quibusque lepori-
bus ad sermonis invitabat commercia, & pari jucunditate
detinebat! Ac inter hæc omnia, quàm nihil in vultu seve-
rum ac triste; quàm in oratione ac gestu nihil superbum ac
arrogans, aut arte quæsitum! Contemnere, rejicere, aut
fastidire in pares, vixque dignatos verbis paucissimis dimit-
tere, non magnitudinis, sed fastûs atque superbiæ statue-
bat; quæ perpetuos comites, odium atque invidiam, tra-
hunt, periculosos principatum asseclas; quos, amor ac
benevolentia, tutissimos facit. Quàm seam abilem his
moribus, tam venerabilem juxtâ, iisdem præstabat.
Quantum enim facilitatis inerat, tantundem & inerat gra-
vitatis: Quæ reverentiam parit; nam, illa amorem con-
ciliat.

O temperamentum pulcherrimum, & unum omnium
efficacissimum, ad comparandam auctoritatem pariter, &
& conservandam! Nam, quod facilitas præstruit, illud soli-
dat atque emunit, ne defluat, gravitas: Et ita fit, ut amplum
illud atque augustum opinionis, in mentibus hominum,
exfurgat, tandem & efflorescat. Suprà perstriñximus,
quam magnitudinem animi ostenderit Nostra: Nunc
attingendum, quàm æquè constanter ac sapienter se
gesserit, incomparabili Conjuge erecto terris, ut cœ-
lum suum subiret. Mollis naturâ mulierum animus,
& parùm plerumque firmus; cum, ad sustinenda
læta, ac prospera; tum, toleranda tristia atque

c

adver-

adversa. Nam, in utramque nimirum partem, modum vix
servant; &, cum exceedere cœperint seriò, ad mediocrita-
tis mensuram reduci, haud facilè patiuntur. Cæterum,
quos amaverunt, cum fruerentur, vehementius; hos in-
potentiūs ferme desiderant, ac insolabiliter amissos lugent.
Non hic fomentis temere, non advoçationib[us] locus. In-
cumbunt orbitati suæ, rimatæque assidue vulnus, ac refri-
cantes veluti, nullum dolendi gemendique faciunt finem.
Altioris indolis virtutisque Nostra, in viri funere, exem-
plum dedit. Non exuebat maritalem affectum, sed cohi-
bebat intra terminos, nec evagari, ulterius sinebat, quam
ratio præscriberet. Nihil non pietatis in deponendum con-
tulit, & in depositum nihil honoris omisit. Cum interim
tamen doloreret haut plus, quam aut honestum Principi esset,
aut æquum tot maximorum Principum Matri. Quare,
quod alias tempus inanibus lacrymis, & nihil profuturis
questibus donant, abditæ tenebris, omnem propemodum
exosæ lucem; id viri memoriæ, id admirationi virtutum
eius, id maximorum meritorum deprædicationi tribuebat:
Verisimilis inde solatia petens, unde mœroris ac ægrimonie
causas aliæ ducunt. Et quid iniquius ferret conjugis fa-
tum, quæ circa sese, quot adspiciebat charissima pignora,
tot levamenta casus reperiebat? Videbat enim quantos
qualesque Principes! Quam viva spirantiaque patriarchum
virtutum simulacra, atque imagines: De quibus etiam an-
tè fuit monitum, &, cum debita laude, pluribus dictum. Ut
autem nihil incorruptius Principe nostrâ & sanctius, cum
quidem viro juncta ageret, fuit: Sic, vacua matrimo-
niô, & in viduitatem data, idem propositum tenuit;
paulò severius tamen atque adstrictius, senem & viduam se
recognoscens; quarum pudorem ac famam non nisi seria
graviaque tueri possunt. Liberalitatem sic exercebat, ut
nepotari ne permitteret. Donabat, largiebatur; sed cum

judi-
cavba

judicio; subinde respiciens, & quid, & quantum, & cui daret. Miseris verò, & quos fortunæ iniquitas nudos vagosque, & exsules fecerat, aut videbatur fecisse, nunquam non porrigebat manum; rata, in talibus, non intellectu, quod ille ait, sed eleemosynâ opus esse, quæ omnibus debet patere. Quicquid dabat, id dabat libenter, ac promptè; non superbè, ac gemens, & ut objiceret, aut inputaret: Cùm nihil aliud, quàm bonitatem animi, honestique amorem sequeretur, & æmularetur illum adeò, cui vicariam operam Principes præstant, qui omnia omnibus dat; non, quòd merentur omnes, sed quòd indigent. Et sic non pauca euidem dixi hactenus; plurima tamen præterii. Et quis sufficeret omnibus, quæ dici poterant. Cùm colligo interim atque consummo, quæ memorata sunt hactenus, mecumque admiror reputans; non possum non profiteri, Principe nostrâ, tot inclytâ laudibus, tot adorata virtutibus m aximis, nihil illustrius atque excellentius, quin nihil perfectius, ut inter homines, absolutius existifese; & itaque dignam, quæ nunquam deficeret. Sed, o conditionem rerum fluxam atque instabilem! Omnibus una incumbit necessitas, & rapit omnia! Recordabatur hæc Nostra assidue, sed reputabat unà, haut totum finiri, cùm obit, hominem. Alteram tantum, & viliorem, partem resolvi in cineres, sed revicturos olim, & cum nobiliore coituos rursus, in gloria æternum trisagium illud angelicum, præ gaudio, decantantes. Hæc agitans secum, atque subinde repetens, nec unquam antè extimuit mortem, & obrepentem jam, vix intellectam, promptè constanterque excepit. An enim timeret, quæ mortem non finem vitæ, sed immortalitatis, felicitatisque perpetuæ, januam esse ac aditum, planè erat persuasa? Quare nihil lamentis, nihil ignavis questibus dabat, tripudiabat & exultabat potius, atque jam præsumebat quodammodo, &

auspicabatur præludens, quod operatura in ævum omne
esset, inter angelos sanctos, omnesque beatos. Quid nos fa-
ciemus hīc, Auditores, an detestemur, modò effluxum an-
num, qui abstulit Mātrem patriæ, qui nobis eripuit Principem
nostram? Quod sexūs sui fortunæque exemplum! Quod
ornamentum seculi! Quod patriæ lumen! An venerabi-
mur potius, & præcipuō locō, annum hujus seculi trigesi-
mum, ponamus? Hic quidem edidit ipsam terris; sed ille cœ-
lo reddidit, unde orta erat. Hic auspicatus ejus humanita-
tem; at ille divinitati suæ transcripsit. Non forte, ac te-
merariō casu, aut nascuntur magni Principes, aut obeunt.
A DEO in terras commodati veniunt, & revocati
ad Deum redeunt; non antè tamen, quām cùm
descripta curricula absolverint, & destinationis divinæ nu-
meros jam adinleverint.. Utrobius igitur adoranda dis-
positio Numinis, & providentia ejus: Atque, ut gratu-
lamur & triumphamus meritò, cùm hæc benignitatis di-
vinæ accipimus munera: Sic, cùm reddenda eadem, oportet
agere gratias; tum, quòd concessit semel; tum, quòd
tam diu indulxit. Ite igitur, Auditores, & ita approbate
pietatem vestram Principi, ne aliquâ apud Deum fatis rei;
cui parere & obsequi summa est religio. Ite, inquam, &
quam luxistis hactenus, veneramini deinceps: Operam
quisquis dantes pro se, ut meritorum illius, quæ summa
ac immortalia sunt, memoriaque & gloria seculis
nullis intercidat.

PANE

PANEGYRICUS
FUNEBRIS,
IN
EXCESSUM

SERENISSIMÆ, NUNC BEATÆ, MEMORIÆ
PRINCIPIS AC DOMINÆ,

DNAE SOPHIÆ AUGUSTAÆ,

DUCIS NATÆ SCLESVICENSIS, HOLSATIÆ,
STORMARIAE, NEC NON DITMARSIAE, PRINCIPIS.
ANHALTINÆ COMITIS ASCANIÆ OLDENBURGI.
AC DELMENHORST, DOMINÆ SERVESTÆ,
BERENBURGI, JEVERÆ & KNIPHUSII
ETC. ETC.

PRINCIPIS VIRTUOSISSIMÆ,
DICTUS PUBLICE,

VVITTENBERGÆ SAXONUM; IN TEMPLO
ARCIS CATHEDRALI
IV. KAL. JUN.
A. S.
CIC CIC LXXXI.

LUBINO EYLES, JEV-FRIS.

SERVESTÆ,
TRPIIS JOACHIMI Psalmen/AULICI TRPOGRAPHI.
ANNO 1682.

SERENISSIMIS AC CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS

AC
DOMINIS,

Dno. CAROLO VVILHELMO,

Dno. ANTHON-GUNTHERO,

Dno. JOHANNI ADOLPHO,

Dno. JOHANNI LUDOVICO,

PRINCIPIBUS ANHALTINIS,
COMITIBUS ASCANIÆ,

DOMINIS

SERVESTÆ,
BERNBURGI,
JEVERÆ, ET
KNIEPHUSII,

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS

EXIGUAS HASCE PAGELLAS,
UT SUI,

ERGA DÓMUM ANHALTINAM

OBSTRICTISSIMI ANIMI
INDICES,

HUMILLIMA DEVOTIONE
OFFERT

SERENITATI EORUM ADDICTIS-
SIMUS SERVUS,

LUBINUS EYLES,

JEV-FRIS.

RECTOR

ACADEMIÆ VVITTEMBERGENSIS,
JOHANNES ANDREAS QVENSTEDT,
QVEDLINBURGO-SAXO, S. S. THEOL. DOCTOR, EJUSDEMQUE
PROFES. PUBL. ELETORALIUM ALUMNORUM EPHORUS, & h.t.
DECANUS,
CIVIBUS ACADEMICIS S. P. D.

In terest posteritatis, ad exemplum, ut consummatisimas virtutes Serenissimæ ANHALTINÆ PRINCIPIS ac DOMINÆ, DN. SOPHIÆ AUGUSTÆ, Ducis natæ Slesvic. Holsat. Stormariæ ac Ditmarsiæ, Comitis Ascaniæ, Oldenburgi atq; Delmenhorsti, Dominæ Servest. Berenburgi, Jeveræ nec non Kniphusi &c. Viduæ, nunc divæ, nulla unquam ætas fileat, ignoretve. Quanquam enim ab elogiorum sesquipedalibus ampullis (ut Poëtae Venusini vocibus utamur,) abhortuerit perpetuò, interq; Regum, Electorum pariter, & Holsatiæ Ducum, quibus proximâ necessitudine conjungebatur, eminentes educata titulos sit; humilitatis certè & religionis semper habuit majorem curam. Veræ Pietatis nihilominus & Justitiæ clementiæq; studium, cum Celsissimorum Principum Filiorum ageret Tutricis ac Rectricis partes maximè, vel solum meruit, ut ab oblivione vindicetur. Jam quid de rarissima felicitate Thalami fœcundioris non maguificè deprehendamus? Quatuordecim (quis credat? nisi ipsamet Natura Conjugis tenerimæ exemplum confirmaret,) Principum, Natorum X. quatuorque Filiarum Genitrix verè AUGUSTA fuit. Tiberius Augustus Imperator, postquam filii uxor Livia uno partu duos posterioris sexus liberos eniteretur, tanto exultavit gaudiò, ut apud Senatum etiam jactaret, nulli antè Romanorum fastigii illius viro hanc fortunæ partem obtigisse geminâ simul augeri prole: quin id rarum quoque modicis Penatibus videri. Ad inusitatam nempe interpretabatur gloriam, divina pignora, præcipue haud una tollere: Sed in suprema dignitate tanto magis istud exoptandum esse, quanto pluribus hæc munimentis, quibus innitatur, indiget. Ex æquo universis singulisque detestanda orbitas, miseriæ humanæ portio non minima censenda; quæ familias imminuit, memoriam extinguit, & Rem publicam tam arctè circumscribit. Itaque felicitatis maximum in eo situm monumentum est, suscipere amœnam prolem, majoris autem numerosiorem. De quatuordecim & fastigio Principali quidem Liberis, ex unâ eademque Conjuge, Regalis sanguinis partice sublatis, quid nunc, nisi rem incomparabilem, si viverent Romani veteres, jactarent? Maximus Valerius

pro

profectò nullum afferre aliud exemplum potuit memorabilius de suis, quām Metelli Qvinti; quem in terrarum Urbe principe fortuna nasci voluit; parentes dedit Nobilissimos; adjectit animi & corporis rarissimas, ut ait, vires; Uxorem pudicitia conciliavit & conspicuam fæcunditate; Fecit insuper, ut eodem tempore tres filios Consulares, unum etiam Censorium videret atque triumphalem, quartum denique Prætorem. Et hunc vitæ actum consentaneus, testimonio, excepisse finis dicitur; dum leni mortis genere inter oscula complexusque pignorum charissimorum, filii & generi sublatum humeris per Urbem denique imposuerunt rogo mortuum. Serenissimos Parentes PRINCIPES, temporibus diversis quidem, summis tamen & piissimis honoribus immo & osculis exceptos antè, quām Naturæ concesſissent, comitati Principes sunt V. Liberi ac Domini, **DN. CAROLUS VVILHELMUS**, **DN. ANTHONIUS GUNTHERUS**, **DN. JOHANNES ADOLPHUS**, **DN. JOHANNES LUDOVICUS**, & DOMINA **SOPHIA AUGUSTA**, nominibus virtutibusque Principalibus **AUGUSTAM** Matrem referens. Et hæc non inter singularia commemoremus? Tandem, si ad alia digrederemur nunc miracula verendum esset, ne abiret in volumen scriptio. Has etenim in se suscepit partim partes Politissimus ingenioque præditus modesto atque erudito Juvenis **LUBINUS EYLES**, Jeverâ Frisius; qui, quantopere virtutes PRINCIPIS divinæ, post excessum etiam, ad memotiam omnis ævi æstimandæ sint, inductus pietate singulari & obsequio, erga Serenissimum in primis **PATR. PATR.** ac Illustrissimam illius Domum universam, hodie finitis ritè sacris pomeridianis, in Templo Cathedrali ad Arcem, id docebit, præsentibus Excellentissimis Legatis, veniâ a Nobis impetratâ, habiturus Orationem ac laudationem funebrem perelegantem. Cui ut frequentes postea velitis interesse actui solemni, & benevolam dicturo audiendi copiam non invidere, **CIVES ACADEMICI**, hortamur juxta vos, & exigunt non intermorituræ laudes in cœlesti regno triumphantis PRINCIPIS. P. P. Ipso **S. S. TRINITATIS** Festo, Anno salutis reparatæ **CIC** **IC** **LXXXI,**

In:



NE quis miretur, RECTOR MAGNIFICE, SFRE-
NISSIMORUM PRINCIPUM ANHALTINO-
RUM LEGATI SPLENDIDISSIMI & EXCEL-
LENTISSIMI, PERILLUSTRIS & GENERO-
SISSIME LIBER BARO, PATRES Academiæ CONSCRIPTI.
cæteriquè omnium ordinum ac Dignitatum AUDITORES
Honoratissimi, tuque Nobilissima, Splendidissimaque Studioso-
rum Corona; ne quis miretur, inquam, quòd in concionem ve-
stram luctuosò habitu atque mœrore affectus nunc prodierim.
Non enim jucunda, non læta, non grata, sed animo convenientia
fatoquere respondentia, lugubria scilicet & feralia proferre in ani-
mum induxi. Impellit ad hoc repentinus & magnopere lugendus
obitus Serenissimæ quondam Principis ac Dominæ, Dominæ
SOPHIÆ AUGUSTÆ, Ducis natæ Slesvicensis, Holsa-
tiæ, Stormar. nec non Ditmarsiæ, PRINCIPIIS ANHALTINÆ,
Comitis Ascaniæ, Oldenburgi ac Delmenhorst, Dominæ Serve-
stæ, Bernburgi, Jeveræ & Kniphusii, Dominæ quondam meæ
Clementissimæ; quam nemo non, nisi cui virtutes ejus incompa-
rables ignotæ fuere penitus, acerbè deplorabit; adeoque nec me-
am, quam Solis hujus occasus luctuosissimus suppeditavit, lugen-
di plorandique justissimam improbabit causam. Ut enim Persæ
in castris super tabernaculum Regis Solis imaginem crystallo in-
elusam ponere aslveti, obscuratâ, eâ aut minùs clarè saltem splen-
descente, obnubilati velut in tristitiam protinus converti fuere;
ita quoque ad unum omnes, qui solem hunc ac vitale jubar amise-
re gaudium à se remotum & abreptum haut inique conqueruntur.
Amisere namque miseri subsidium, Justitiæ amatores Cynosu-
ram; depresso à fortuna præsentissimum asylum; & ad ultimum
nullus subditorum est, qui se aliquâ voluptatis, auxilii atque sola-
tii parte esse fraudatum non agnoscat. Nec dubium est, plures
alios ex Germanicæ & exterorum gentium Proceribus, quos vel
nominis necessitudo traxit in communionem, rumore inexpecta-
tæ, mortis confusos redditos ac planè consternatos. In Alcibiade,
Cliniæ filio Atheniensi, Nepos asserit, Naturam, quid efficere posset,
videri expertam. Quoties Serenissimæ quondam, nunc Beatissi-
mæ Principis perfectissimas atque absolutissimas animi dotes men-
te volvo, toties illud Nepotis repetere me pietas jubet: Naturam,
quid efficere non tantum, sed & consummare posset, in diva SO-
PHIA AUGUSTA voluisse experiri. Virtutibus ad summum
claruit; Justitiam, validissimum Reipublicæ munimentum, quasi

propriam habuit; pietatemque indiviso nexo sibi copulavit; humanitate & clementiam neminem se passa est antecedere: ut etiam, si quis secum agitaret, qualemnam oporteat esse Principem foemina, cui nihil eorum desit, quae tribuere favor Numinis aut maxima; aut summa conferre virtus queat; non aliam, temere, credo, conciperet speciem, quam hactenus in NOSTRA cuncti, qui Eadem subfuere, venerati sunt, nuncque lugent impense. Bona equidem tum demum quae fuerint, quando amisimus, sentimus; exclamasse quondam Romuli Nepotes Augusto, fato abrepto, testis est gravissimus Scriptorum Dion. Utinam non repetenda nobis vox esset lugubris tristi clamore planctuque permista: jam demum ubi mors atra, quae & juxta publicum Poëtae testimonium semper
Æquō pede pulsat pauperum tabernas,
Rēgumque turres.

Serenissimam memoriæ beatæ Principem eripuit, quamnam amiserint universi, sentient, eamque non æternam fuisse, dolentes justè deplorabunt. Lugebunt naturam ipsius solis instar beneficam; qui, ut non tantum radiis suis convexa collum atque juga montium collustrat, sed etiam valles ac obscura loca recreat; sic religiosissima Nostra non tantum in Magnates ac præclaro gente natos, sed etiam exiles gratiæ suæ derivavit radios. Ut adeò vix mihi imperare queam, quin illud Livii Drusi: ecquando eivem mei similem Romana habebit Respublica? hic ingemiscam, & quod in vivis assentatio prohibuit, post fata nunquam intermortituræ famæ consecratus, exclamare nunquam erubescam: ecquando, Anhaltini, Principem huic similem habebitis? Tot tantisque virtutibus inclytam? insignem ad memoriam posteritatis? Quæ omnia dum paulo intentius tecum reproto, jam demum, quantum oneris in me susceperim, & quam parum memor fuerim Horatiani illius præcepti, quo explorare jubemur humeros, quid valeant, quid ferre recusent. Dicere namque proposui de virtutibus Serenissimæ quondam SOPHIAE AUGUSTÆ, beatissimæ memoriæ principis, incomparabilibus, quorum tot ac tanta se produnt argumenta, ut eas prædicare, aut deplorare, quantum satis sit, vel disertissimus quisque desperet. Præterea dicendum in concione sapientum & celebrium Virorum; quod grave atque arduum esse, quotusquisque non lubens profitebitur? Mirum ergo non erit, si metus, trepidatio atque solicitude incessant animum, nondum satis gnarum, num pro viribus propositum exequi, an verò in ipso limine statim obmutescere cogatur? Illud quidem

dem obsequium imperat, quo Serenissimæ Domui Anhaltinæ me obstrictum obligatumque penitus, eâ, quâ par est, humili-
ma animi subjectione profiteor? hoc verò mea in dicendo impe-
ritia, ut qui parum admodum profecerim in iis artibus, quæ elo-
quentiæ humine Rhetorumque floribus facem in animis doctissi-
morum Auditorum accedere possunt, ivadet. Quicquid tamen
subjiciat pavor, id pietas in Principem, & fiducia ingens, quæ ve-
strâ, AUDITORES Venerandi, benevolentia nititur, planè remo-
vet, & fluctuantem animum erigit, ut latus, securus, omnisque
spei plenus nuncupata verborum vota solvere & Serenissimæ Du-
cis, quantum mea in dicendo balbuties permittit, virtutes exequi
amplius non dubitem. Propterea Vos, RECTOR MAGNIFICE,
SERENISSIMORUM PRINCIPUM ANHALTINORUM
LEGATI SPENDIDISSIAMI & EXELLENTISSIMI, PER-
ILLUSTRIS & GENEROSISSIME LIBER BARO, PA-
TRES Academiæ CONSCRIPTI, Auditoresque omnium or-
dinum honoratissimi, rogo quæsoque, ut si mortuam lugendam,
ereptam desiderandam, sepulta memoriam conservandam sta-
tuatis, me, dum hoc pietatis fungor officio, monumentumque
hoc literariumpono, benevolentia vestrâ sublevetis, attentione
roboretis, æquitate firmetis, ne sub hoc onere deficiam, sed ut
mea, quam cœpi oratio favore vestro haud vulgari sublevata, fe-
licem portum consequatur.

Quemadmodum longo usu excellentes atque artis peritissi-
mi pictores, quando in angusta quadam tabella hominem repræ-
sentare debent, non totius humani corporis, sed præstantissima-
rum tantummodo partium figuram oculis subjicere solent, quod
reliquas tantillum non capiat spatum; sic ego quoque, dum nar-
randarum virtutum, quibus ne quidem totus sufficeret dies, tem-
pore excludor, Nostræ non singulas, sed potiores solummodo
laudabo. Hic verò idem mihi evenire animadverto, quod via-
toribus, qui, cum in ejusmodi incident locum, ubi plures viæ
coéunt in unam, animo hærent, quamnam præ reliquis sibi ingre-
diendam eligant? Sic & ego, dum virtutes Nostræ mentis oculis
contemplor, in bivio quasi constitutus atque propemodum igna-
rus sum, quam primo, quamve ultimo loco commemorare præ-
stet? Cùm autem Pietas sit inter virtutes reliquas, quod Hespe-
rus inter stellas, & nihil in humanis rebus illustrius & commenda-
bilius; nihil præstantius pietatis ac probitatis latide, nemo mi-
hi vitio vertet, si de hac omnium primò dicere aggrediar: quippe

quam ita coluit, ut a nullo in hujus exercitio se superari passa sit.
Quô erga DEUM enim arsit affectu? quô cultu & studio caluit?
quâ mente ei perpetuò dedita fuit? Orabat, psallebat, intererat
sacris, tuebatur pauperes, juvabat depresso, nec patiebatur ullum
præterire diem, quin divina oracula volveret; quin sacros versaret
libellos. Mundum maximè ducebat animi ornatum, quo se
DEO probaret: quem pacatum habere atque propitium pluris
æstimabat, quam illustrissimi generis antiquitatem atque Nobilitatem;
pluris, quam ipsam Principalem dignitatem; probè
gnara, quod personam Principis, ut stella Solem subditi intueantur,
seque vitamque suam ad illius mores fingant placidè,
atque componant. Namque ut Poëta canit:

componitur orbis
Regis ad exemplum: Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Atque in eo pietatis exercitio ut maturius impleret vota,
ædem sacram ad verendi Numinis honorem felicibus erigere au-
spiciis decrevit. Nunc dies noctesque meditari: Nunc DEUM
precari, hortarique ministros, nunc manibus pedibusque omnia
obnixè facere coepit, quod felicius maturiusque desiderio respon-
deret eventus. Prima mox inauguraravit ornamentis templum,
prima tulit prægrandem tabulam, quæ memoriam repræsentabat
Servatoris: Illustri pictorum ornamento non uno loco condeco-
ravit templum. Prohibebat interim, ne in deauratis sculptilibus
externoque splendore poneretur pietatis studium. Hinc celebra-
tibus aliis, qua in locis illustribus sacra templi vasa oculis usur-
pâsfent, ipsa equidem ingenuâ confessione retulit, se in divino
cultu simplicitatem magis decoram, quam apparatus nimios
compositasque in speciem pompas probare. Noverat nempe
prudentissima Princeps, DEUM, ut purissima mens est: ita vi-
cisim interhâ mentis puritate ab hominibus coli, atque abscon-
di pietatis operâ, non jactari, quod vanissimum hominum est,
oportere. Omnino verò propter exempla aliorum interest, ut
prodeat foras pietas, & in amorem sui atque imitationem trahat
alios atque alliciat. Invenias enim inter alios in aula educatos
homines, quibus neque fides, neque pietas, (dixissem ferme) ne-
que DEUS curæ cordique est, neque ullum veræ religionis ex-
ercitium. Hos tales extremo odio sanctissima Princeps persequen-
tatur, atque ut hi detestandi mores ex aula divæ nostræ fundi-

tus

tus exstirparentur, non ipsa solùm pietatem exserebat totò animo;
altissimè infixam, sed ut alii quoque castè venerarentur sacra,
perpes illi in secreto cura fuit. Non hæc, Auditores, metus, non
assentatio; sed virtutis amor; sed veritas, ut dicam, expresit.
Testes horum omnium appello Vos, SERENISSIMI PRIN-
CIPES ANHALTINI, qui abundantissimè gratulati de Matre
hac SOPHIA AUGUSTA, hac Eusebiâ, estis olim. Testes vo-
co Illustrissimæ Aulæ Servestæ Proceres; testes omnes admini-
stros: Qui ultrò mihi plenô ore adstipulantur, admirati ma-
ximopere, quam curam, quod studium attulerit ad auscultandos
sermones, qui habebantur de suggestu sacro; quô amore; quô
zelô reversa factis exprimere studuerit præcepta saluberrima,
quæ percepisset. Nullum tempus, nulla hora, concio nulla im-
pendi sacris poterat, cui non interesset Diva. Neque ullum inter
graviora quæque negotium Sanctissimam a sacris arcebat.
Quod si nonnunquam, ut homines sumus obnoxii inbecillitati,
morbô impedita, lecto affigeretur, animo tamen intererat sa-
cris, quibus corpore interesse valetudo prohibebat; & nisi sin-
gulis diebus, serìo D E O consecraret animum totoque pectore
sacris se devoveret nihil egisse arbitrabatur. Facturus operæ pre-
mium videbor, si quæ neque unius horulæ angustiis includi, neque
balbutienti sermone expediti possunt, simplici orationis stylo
persequar. Videbat diverticula ac flexus aliorum; hinc, ne a-
liò se trahi paterentur, sacros singulis libros in æde sacra definivit,
probè gnara, vinci his artibus ac expugnari cœleste Numen, eo-
que facilius, quò ardentiùs piorum desiderium unanimi quasi
concentu vocem attollit. Et dubitabimus, suppliciis istis ac pre-
cibus, pietate tantâ ac constantiâ multum avertuncatum malo-
rum a nostris cervicibus, & plurimum contrà bonorum, quibus
fruimur, procuratum? Gaudet, gaudet sanè his artibus expu-
gnari cœleste Numen, eoque redigi, ut clementer tandem an-
nuat piis consiliis, caveatque, ne temere procedant; sed bene
cœpta eventus melior consequatur. Si Plato tūm denique fo-
re beatas res publicas dixit, si aut docti & sapientes homines eas
regere cœpissent, aut qui regerent, suum studium in doctrinam
aut sapientiam collocâssent: quantò magis nos, qui Christo no-
men dedimus, stabilimentum quantumcunque virtutum pietati-
tem rem publicam demum reddere felicem asseremus? Felici
quondam exemplô experta illud est Judæa in Davide, Græcia
in Constantino, Latium in Theodosio, in Honorio Roma, & in

b

Otto-

Ottonibus Germania. Sed jam retro legendum iter, & rever-
tendum ad Divam nostram SOPHIAM AUGUSTAM. No-
verat Princeps beatissima, absente pietate aut nullas omnino
virtutes adesse, aut simulacra quædam atque imagines insomnio-
rum more inani specie illudere. Noverat insignes illos pietatis
veræ fructus. Hinc symboli loco frequenter usa est his verbis:
Omnia cum DEO! o divinam felicissimamque tesseram; quæ
Autorem adjutoremque ubilibet DEUM immortalem requi-
rit! Non enim nisi DEO quidem accuratè æstimanda pietas, quæ
nec precum formularumque ambitu absolvitur, nec ceremoniis
anxiis; sed sanctâ colitur simplicitate. Simul stellarum ingens
incedit unâ numerus; nunquam Jupiter apparet, nisi satelliti-
bus stipatus: Similiter pietatem comitatu splendido reliquæ vir-
tutes seqvuntur, eiique tantum Dominæ suæ induculo nexu adhæ-
rent pedissequæ. Quare, quò major in Gloriosa nostra, copio-
siorque pietas fuit, eò frequentior quoque reliquarum erat vir-
tutum comitatus. Validissimum reipublicæ munimentum Ju-
stitia est, quæ si sedulò attendatur, ad gubernacula reipublicæ se-
denti autoritatem conciliat, subditos felici rerum facie beat, au-
gustissimamque apud cæteros famam procurat, cuius quoque
in Nostra beatissima exultricem amisimus summam & propu-
gnatricem acerrimam. Cùm enim Serenissimus Princeps JO-
HANNES sanctissimæ memorie, Anno 1667. die 4. Julii, natu-
ræ concessisset, atque Diva nostra ius ac potestatem tuendi
Principes juventutis, qui per ætatem se defendere nequibant,
unâ cum Tutoribus Illustrissimis suscepisset, quam constans fuit,
quam neque affectuum perturbatione abrepta inflecti se, aut
trahi in partes passa est? Cùm causas tutelares aliasque audi-
ret, obnuptâ velut facie nullius personam respiciens, pronuncia-
bat, omniisque animi alacritate sedulò attendebat, ut suum cuili-
bet tribueretur. Quæ verò & talia non eò interpretanda esse ar-
bitror, ut existimemus, Gloriosam nostram iis accensendam esse
fœminis, quæ fastigii sui conscientiâ, & recordatione nimia
fortunæ regiminis fasces affectârunt, injuriam interpretantes, si
non & ipsæ regnarent, corruptumque semel ambitione animum
regnandi libidine explerent. Aliam sectam ac rationem illa
animi compositissimi moderatio injunxit nostræ: Quæ se Prin-
cipem esse natam, Anhaltinorumque Dominam jure constitu-
tam, neutiquam ignoret, fœminam tamen, adeò usque oblivi-
sei non potuit, ut in summo fastigio collocata privatæ similior
videre.

videretur. Nunquam, nisi isthuc jubente rerum statu, deciden-
di potestatem exercere, quām intra gynæci sui penetralia sese
continere maluit. Qui nimiō luminis radiō obumbratur, cœ-
cutienti, quām clarē videnti redditur similior. Dum ego ful-
gentissimarum Nostræ virtutum, luminibus circumfusus, ve-
here easdem laude satago, tantō lumine obstupefactus hæreo;
nec, ut par est, summarum virtutum encomium; acumine styli
exæquare valeo. Nihil adhuc de clementia beatissimæ, nihil
de modestiâ, & frugalitate ejus dixi. Pauperes & fortunis evo-
lutos adeò clementer fovit, ut magnâ æternaque laude dignâ
commiseratione, miseria eoruñdem succurreret. Blandimentis
supplicantium spes non delumbabat, nec per moram frustraba-
tur. Ministrorum culpis tantâ clemètiâ ignovit, ut medio-
critatis leges migrâsse videretur; nisi & laudabilis esset benigni-
tatis accusatio. Laudatissimi arbitrabatur mōris aliorum de-
licta eō ferre animō, quasi ipsa omnium delinqueret freqven-
tissimè, & ita tamen delictis abstinere; tanquam ignosceret ne-
mini. Quapropter potestatem Principis eō miscuit modestiæ
temperamentō, ut intra palatii ministeria, non Liviae; Sed Tra-
jani laudatissimi Principis morem sequi, talemque se probare
Principem privatis, qualem optaret ipsa privata, in votis habue-
rit; neque Majestatem esse, timeri nimis, rata est, sed tyranni-
dem rectè atque laudabiliter interpretabatur. Blandum luxu-
riæ malum summō semper persecuebatur odiō. Nunquam
dapes procul consitæ, ungventorumque fragrantia ad somnum,
& delicias nostram avocârunt. Sed victu parabili faciliores
mensæ exquisitissimum ei decus videbantur. Quid enim istis
vitiis fœdius? Quid etiam damnosius? Quibus virtus atteritur,
fufficiençia animi languet, sopita gloria in infamiam convertitur;
animi & corporis vires expugnantur; adeò, ut nescias, an ab
hostibus, an ab illis capi perniciosius habendum sit; Animad-
vertens ita facile; credo, Auditores, quām inusitatæ laudis glo-
riam meruerit divina Princeps. Propria hominis virtus hu-
manitas est: Quam qui in hac mortali vita ritè excolunt; im-
mortali Numini similimi redduntur. Nam, si humanitas ni-
hil aliud est, quām benignus benivolusque in omnes affectus;
Quid in cœlesti illo ac summo Numinе magis exuberat? Quod
nullum aditu privat: nullius preces spernit; nulli non opem
atque auxilium præstat; quod omnibus æquè prospicit; ex æ-
quo omnes cœlesti atque paternô amore prosequitur. Quare

b2

quod

quod majori humanitate sunt præditi Principes, eò feliciori quoque gaudent propinquitate affinitateq; Numinis, & abundantius similitudinem ejus exprimunt, cuius in terris vicem sustinent. Præceptuâ hâc laude quoque floruit Diva nostra, quæ in humanitate vix secundam, non in comitate habuit priorem, quæ divinam hujus virtutis laudem ei faceret dubiam.

Quàm benignè aditum præbuit efflagitantibus? quàm comiter invitavit ad colloquiorum commercium indigos auxili? quàm jucundâ oratione detinebat? Ac inter hæc omnia, quàm placidô vultu affari, quàm serenâ fronte oculisque nullam arrogantiam, nullamque severitatem præ se ferentibus intueri præsentes noverat? Despicere aut fastidire impares, non Majestatis, non Principis gloriæ; sed inculri arrogantisque ingenio convenire prudenter judicavit. Hinc adeò factum est, ut in Principum exterorum aulis tanquam absolutissimum laudatissimumq; virtutum exemplar representaretur. Plotina Trajani Imperatoris uxor, cùm post Trajani electionem primùm in Capitolium iret, multique essent; qui imperii felicitatem modis omnibus precarentur; adhuc in gradibus conversa a dmultitudinem: Talis, inquit, huc ingredior, qualem me ixire cupio. Quò dicto innuere voluit; se non minùs in imperio, quàm cùm extra imperium esset, omnibus bene velle. Unde sic se in Principatu gessit, ut omnino justâ reprehensione caruerit. Minorem hâc Plotinâ laudatissimâ Divam nostram atque gloriosissimam Principem fuisse, arbitramini Auditores? Majorem sanè atque multò celebriorem fuisse, abjecto omni adulandi animo, liberaliter profiteor. Cùm enim ex Hollsatia Servestam olim esset ingressa, non voce, non jactabundis verborum promissis; sed reipsa in Principatu ita se gessisse beatissimam Principem, ut omni omnino reprehensione catuerit, abundè subditorum lacrymæ, atque ministrorum omnium testantur singultus. Et sanè ille mihi animus semper fuit, nullum gravius de probitate virtutumque gloria hominis afferri posse testimonium, quàm quod post beati mortem in terris reviviscit. Ita namque sumus naturâ comparati mortales, ut, ubi spem, aut præmium, aut beneficium, aut quidam simile nobis promittimus, in laude simus perquàm faciles: Et sæpius etiam isthinc gloriemur, ubi gloriari nefas duxissent prudentes. Ast enim verò, ubi jam spes omnis decollavit,

vit,



vit, ubi præmium atra jam extinxit mors, atque cineres extulere
beneficium, & tūm nihilominus laus efflorescit, hīc credas abesse
adulandi mores, nihilque fovere virtutum encomium, nisi rei
veritatem. Ante obitum neminem esse beatum, trita quondam
Solonis vox erat, quam Græcorum subtilissimus Stagirites, in illu-
stri ad Nicomachum doctrina morum, elegantissimō commen-
tariō illustravit; inter alia demonstrant, eam dénum laudem
vitæ consequi beatitudinem, quæ post mortem canitur. Atque
ita ter quaterque beatam divam Nostram deprædicabimus,
quam inter alias virtutum asseclas etiam humanitatis laus post
cineres in terris superestes manet. Evidem non infimi subhellii
Auctores in opinione non adeò spernenda hærent, dedecori po-
tiùs, quām gloriæ Principum accensendam esse nimiam huma-
tem, nilque derogare plus Majestati, quām nimiam familiarita-
tem. Hinc Agesistrata, quūm filiu m Agidem exanimem ja-
centem videret, exosculata faciem, dixit: Nimia tua, o fili, boni-
tas, nimia manvetudo & humanitas te simul & nos perdidit.
Moliebatur enim Agis facinus sanè præclarum, sed indiviosum:
nimirum, ut degenerantes Lacedæmoniorum mores ad priscam
illam severitatem revocaret. Interim dum studebat offendere
neminem & gratificari omnibus, se ipsum in exilium ejicit.
Omnes ferè Atheniensium Imperatores tantò magis stabilivisse
auctoritatem arbitrabantur, quantò remotius a conspectu suo-
rum recessissent. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphi-
crates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigæo. Quod
suò quondam calculō comprobavit Lacides, arcessitus ab Atta-
lo Rege, respondit: Imagines Principum eminus esse spectandas.
Innuens, arctam assiduamque familiaritatem sæpè minuere
virtutis admirationem. Quæ quidem lubentius suo loco re-
sita relinquam, quò certior sum, hæc & talia de humanitatis ex-
cessu nimiodicta, beatissimæ Nostræ nequaquam convenire. Hæc
enim quām se amabilem his moribus, tam venerabilem præsta-
bat iisdem. Quantum enim facilitatis inerat, tantundem & in-
erat gravitatis, quæ reverentiam parit; nam, illa amore con-
ciliat. O temperamentum pulcherrimum ad unum omnium
efficacissimum ad auctoritatem comparandam pariter & con-
servandam! Nam, quod facilitas præstruit, illud solidat atque
emunit, ne diffuat, gravitas: Et ita fit, ut amplum illud at-
que augustum opinionis in mentibus hominum exsurgat tan-
dem ac efflorescat. Tradunt ex schola Aristotelis Philosophi,
qui in una virtute supremum attigerit culmen, reliquas etiam

ei ita inhærere , ut ad minimum in opposita ipsis vitia non dilabatur. Apprimè hoc de beatissima affirmare possum , quæ , cùm in humanitatis fastigio nihil fecerit reliquum , & summum adeò bonum , quod vocant , fuerit consecuta , virtutibus reliquis omnibus obtemperavit , & , ut verius dicam , excelluit , ut in omnibus supremum apicem contigisse haud frustra censetur. Veniam merebor spero , si Poëtarum morem hīc imitari non reverear , qui in grandia delati centum sibi ora & voce stolidem consverunt optare. In vanum quidem , cæterū , ut gravitatem oneris , quod subierunt , & impar amplitudini rerum virium robur profiterentur. Ita pariter ego in præsentiarum operi suscep̄to impār , centum mihi linguas oraque centum expeto , quibus pari dignitatem rei exprimere oratione valerem. Quamvis enim non pauca dixerim hactenus , plurima tamen sum prætergressus. Et quis sufficeret omnibus , quæ poterant dici? Cùm colligo interim atque consummo memorata , mēcumque admiror , reputans , non possum non profiteri , Principe nostrā æternis dignā laudibus , absolutissimisque , conspicuā virtutibus , nihil illustrius , nilque absolutius extitisse: & ita quidem dignam , quæ neque mortalitatem expleret , sed magni instar exempli in his terris extaret , ad cuius normam formare se atque exigere vitam suam possent Principes foeminæ , si vivere velint cum laude , & cum gloria defendere majestatis fastigium , in quo fortuna ipsos collocavit. Sed o conditionem rerum fluxam atque instabilem ! o breves & mutabiles mortalitatis vices ! o fortunam nunquam simpli- eiter indulgentem ! Ita scilicet jactamur invicem varietate fortunæ ! o fallacem hominum spem & inanes nostras contentiones , quæ in medio spatio sæpe franguntur & corruunt: & ante in ipso cursu obruuntur , quām portum conspicere potuerint. Crœsus consultus a Cyro de bello suscipiendo contra Tomyrim , Reginam , a qua tandem occisus est: Si tibi , ait , esse videris immortalis , nihil est opus , ut meam sententiam tibi dicam ; si verò te quoque agnoscis hominem , illud in primis discito , talem humanarum rerum circulum esse , qui rotatus eosdem semper fortunatos esse non sinat. Quicquid infrā supra- que aspicimus , hanç legem patitur , nihil exceptum exemptumque est. Omnibus una incubit necessitas , quæ omnia rapit Ut in rerum natura , quæ spectatissimè florent , celerrimè marcescunt , veluti rosæ , lilia , violæ , cùm alia perdurent : Ita in hominum

hominum vita, quæ florentissima sunt, citissimè vertuntur in diversum. Ut steterit diu aliquis, decidit tamen, & solvitur tandem & redit in terram, unde coaluit.

Ortum quicquid habet, finem timet; ibimus omnes,
Ibimus immensis urnam quatit Acacus umbris.

Neque ætas ulla declinare mortem potest. Cùm nascimur, sub-
jicimur tributo huic, & mortis evadimus stipendiarii. Imò,
-- -- -- cùm tremuli sese oculi exerunt,
Primævumque avidi percipiunt diem;

tunc sanè incipimus mori. Eadem mors imminet Principi, quæ mendico. In hoc momentum mortis redimus, quæ pares facit singulos, utut hos antè fortuna virtusve distinxerit. Nihil tunc in terris manet superstes; nisi quod aliorum actiones vitamque præclaram fama post mortem perennis: aliorum autem vitia atque turpitudines vel eadem condit obscuritas, vel idem dedecus, quō vitam conspurcārunt antè, manet. Recordata Diva nostra est: Hinc non genio, non corpori, non voluptati, sed virtuti; sed cœlo, sed DEO vixit, quamdiu vixit, probè secum reputans, nequaquam totum redigi in nihilum a morte hominem; sed viliorem saltim ex terra conflatam partem exanimatam reddi pristino terræ domicilio, revicturam olim, cum DEO immortali sic jubente, divinior expers funeris pars, decretriō illō die, indissolubili vinculo reddetur corpori, in nunquam finienda gaudia perpetuò duraturo. Hæc piâ mentis agitatione secum agitans beatissima Princeps, nunquam atram mortis horam timuit. Et quid' expavesceret, cùm non interitum; sed somnum duntaxat atque transitum ad vitam esse mortem, atque immortalitatis felicitatisque perpetuæ januam, planè esset persuasa. Quare aggravantes corporis imbecillitates promptè constanterque excepit, atque adventantem vitæ terminum ultimum lætabunda expectavit; præludens quodammodo, quod operatura in omne ævum esset, si locus ullus ævo suo, ubi est æternitas. Atque ita inter amplexus atque suspiria, Serenissimis pignoribus, quæ irretortis, blandisque oculis respexerat, cæterisque ordine Illustrissimis ac nobilissimis Amicis, qui tum aderant complorabantque, valedixit, atque in Servatore optimo vitæ fideique acta feliciter ac beatissimè obsignavit. Quid nos?
c 2 Quid?

Quid? an conclamabimus? aut voces irritas mittemus, aut fatigabimus singultibus præcordia? at exuit terrestre nomen saltem **SOPHIA AUGUSTA**. Fruitur nunc Diva, fruatur æternâ felicitate, deducta a Redemptore suo, cui unicè se dedit semper, in paternas sedes, in regiones cœlestes, ubi amœna atque securissima mansio, ubi tranquilla circa omnia lœtaque sunt, ubi beatè vivit; nec mala patitur, nec pati poterit, quia illic nulla sunt. Ubi, quod optabit, possidebit & possidere desiderabit; pelli possessione non poterit, quia, quod hodie est, æternum erit. **Salve** igitur **SOPHIA AUGUSTA**, inter beatissimos Angelorum ordines æternū triumphans! **Salve** desiderio potita, quô, dum in terris eras, flagrasti anxiè! **Salve** Gloriosa Princeps, & æternū vale! Tibi quidem bene æternū est, beatissima Princeps, te nulla amplius affligit calamitas nulla tristitia mordet: Ast miseros nos & ope tuā destitutos reliquisti. Eheu! deploramus in te summam pietatis excruciatricem, maximum justitiæ decus, & incomparabile humanitatis exemplar. Anne tecum, Gloriosa nostra, omnis pietas sepulta jacet? Anne omnis tecum justitia periit? Anne omnis humanitas, comitas, liberalitas? Anne omnis virtus? Sed reprimam hos questus. **DEUM** potius immortalem seriò precamur supplices ac veneramur, ut Serenissimos Principes Anhaltinos Dominos Nostros Clementissimos, hâc tantâ clade afflictissimos, solatiō omnipotenti erigat, in seram etiam posteritatem salvos, incolumes, felices diutissimē conservet! Floreat auctibus lœtissimis, & revirescat semper Domus Anhaltina! Splendeat ac rejuvenescat robur avitum! Nunquam Serenissimæ Anhaltinorum Domui Heroës desint, qui veram **DEI** gloriam, Imperii securitatem, patriæ incrementum, salutem singulorum tueantur!

DIXI.



Xe 453

48



VD 17

88. C.





10

LESSUS

LAMENTABILIS,

SERENISSIM

DNA.

AL

E CELSISSIMO

SAT

PROSAPIA, OR

DOMINA NOSTRA,

TRIÆ

JAM INTER
EX HOC MUN
PRI

Dormitorio verd in

PRÆSENTIBUS ,

M. JOH
P.

Servestæ, Typis JOACH. Palmen / Aulic. Typogr.

